

» autem vere vidua est, et desolata, speravit in Dominum, » et persistit in orationibus nocte et die¹. » Hanc vere viduam dixit, quæ non habet a quibus sustentetur; quia non solum viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: divitem quippe non diceret desolatam. Pauperi itaque pignus non est auferendum vestimentum: nam et hoc ipso, quod vestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potius auferret argentum, vel si quid aliud, quam vestimentum. Porro si occurrerit animo: « Quid si multa habeat vestimenta non » necessaria, sed superflua? » Quomodo intelligitur vere vidua, hoc est, non solum desolata, verumetiam quæ non in deliciis agit? quam subjecit dicens: « Quæ autem in » deliciis agit, vivens mortua est². » Hanc quippe opposuit, tanquam e contrario veræ viduæ, tanquam talis non sit vera vidua. Quæcumque autem divites alias nuptias experiri noluerunt, continentia in eis laudatur, non desolatio commendatur. Hæ quippe maritis tantum viduatæ sunt, non aliis rebus.

QUÆSTIO XLIV.

Quod admonet, ut in messe oblitum manipulum nemo colligat, et olivam vel uvam relictam nemo repetat diligentius neglecta colligere, et dicit egentibus dimittenda³: occurrit forsitan cogitationi: « Quid si hæc quæ ab agrorum dominis dimittuntur, non egentes, sed improbi colligant? » sed considerandum primo illum misericordia facere, qui hoc animo dimittit, ut egentes habeant quod dimittitur. Deinde cum hæc populo præcipiuntur, simul admonentur ii qui non indigent, ista non quærere. Quod si quæsierint, quid aliud quam res alienas, et, quod gravius est, pauperum invadere judicandi sunt? Utrique ergo commemo-

¹ Tim. v, 4, 5. — ² Ibid. 6. — ³ Deut. xxiv, 19.

rantur¹ his præceptis, et quorum agri sunt, ut misericorditer ea relinquunt, et qui indigentes non sunt, ut inde se abstineant: quando utrumque dicitur, et a quibus dimittenda sint, et quibus dimittenda sint.

QUÆSTIO XLV.

« Si autem fuerit altercatio inter homines, et accesserint ad iudicium, et judicaverint, et justificaverint » justum². » Iudices intelligendi sunt iudicare, non illi qui dicti sunt altercationem habere. Deinde sequitur: « Et » reprehenderit impium. Et erit: si dignus fuerit plagis, » qui impie agit, constitues eum in conspectu iudicum; » et flagellabunt eum ante se, secundum impietatem » ejus: numero quadraginta flagellabunt eum; non apponent. Si autem apposuerint, flagellare eum super has » plagas plures, deturbabitur frater tuus coram te³. » Valde advertendum est, quod cum ea peccata plagis emendanda præceperit, quæ digna non sunt mortis supplicio vindicari, et hoc tam paucis plagis; eum tamen qui cæditur, appellavit impium vel impie agentem: ut noverimus, non sicut plurimi loquuntur, locutas esse Scripturas; quas incuriosius legimus, cum putamus adulterium non esse impietatem, quia in hominem videtur peccasse, qui hoc fecerit, cum illud peccatum morte plecti jubeat Lex; et his peccatis graviore esse dicimus impietates, cum sint earum quædam, quæ flagelli plagis quadraginta puniuntur⁴. Est itaque levis impietas, quæ verbere digna est; et est gravior quæ morte digna est: ita etiam illa peccata quæ non in Deum, sed in hominem videntur admitti, sunt morte digna quædam; sunt alia correptione, seu verbere, seu venia faciliore. Ita enim locutos esse Septuaginta interpretes constat, ut etiam illius, qui plagis dignus est, impietatem vocaverint.

¹ Id est *commonentur*. — ² Deut. xv, 1. — ³ Ibid. 2, 3. — ⁴ Id. xii, 22.

QUÆSTIO XLVI.

« Si autem habitaverint fratres in unum, et mortuus
 » fuerit unus ex eis, semen autem non fuerit ei, non erit
 » uxor defuncti foris non approprianti: frater viri ejus in-
 » trabit ad eam, et accipiet eam sibi uxorem, et cohabi-
 » tabit ei. Et erit, infans quicumque natus fuerit, con-
 » stituetur ex defuncti nomine, et non delebitur nomen
 » ejus ex Israël¹. » Videtur hoc præcepisse Lex de fratris
 uxore ducenda, non ob aliud, nisi ut semen suscitet fra-
 tri, qui sine liberis defunctus est. Quod autem ait: « Con-
 » stituetur ex defuncti nomine, et non delebitur nomen
 » ejus ex Israël, » id est, nomen defuncti; ex hoc videtur
 dictum, ut ille qui nascitur, hoc nomine appelletur, quo
 appellabatur defunctus, cui quodam modo propagatur.
 Unde nobis visum est magis secundum adoptionis morem
 solvere in Evangelio quæstionem de duobus partibus Jo-
 seph, quorum unum commemorat Matthæus, eum scilicet
 qui genuit Joseph, alterum Lucas, eum cujus filius erat
 Joseph²: quoniam nullius eorum nomen Joseph accepit.
 Nisi forte hoc dictum est, « Constituetur ex defuncti no-
 » mine, non ut ejus nomen accipiat, sed ut ex ejus no-
 » mine, » id est, tanquam filius, non ejus cujus semine est
 genitus, sed illius defuncti, cui semen suscitatum est,
 hæres constituatur. Quod enim additum est, « Et non
 » delebitur nomen ejus ex Israël, » potest ita intelligi,
 non quod nomen ejus puer consequenter accipiat; sed
 quod ille non sine posteritate mortuus esse videbitur, et
 ideo permanet ejus nomen, hoc est, memoria. Neque enim
 etiamsi ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat im-
 positurus, ut nomen ejus non deleteretur ex Israël: sed ex
 hoc utique non deleteretur, quia non sine liberis ex hac

¹ Deut. xxv, 5, 6. — ² De consensu Evang. lib. II, c. 3. Matth. I, 16, et
 Luc. III, 23.

vita emigraret: et hoc jubetur ex ejus uxore frater ejus
 implere, quod ille non potuit. Nam etsi frater non fuisset,
 et propinquus ducebat uxorem ejus, qui sine filiis mortuus
 esset, ad suscitandum semen fratri suo: sicut fecit Booz
 ducendo Ruth¹, ut semen excitaret propinquo suo, cujus
 fuerat illa uxor, nec de illo pepererat, et tamen qui de illa
 natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est,
 quia filius ejus est dictus, atque ita factum est ut nomen
 defuncti non deleteretur ex Israël, nec tamen ejus nomine
 appellatus est.

II. Quæ cum ita sint, abundantius duobus modis solvi
 potest evangelica quæstio, ut unus eorum, quos diversos
 commemorant Matthæus et Lucas², ita fuerit propinquus
 alteri ad ducendam ejus uxorem, ut alios etiam sursum
 versus parentes atque majores iste, alios ille habere po-
 tuerit. Nam si fratrum filii fuissent, unum habuissent
 avum, quod non ita est: nam secundum Matthæum, Ma-
 than est avus Joseph; secundum Lucam vero, non Ma-
 than, sed Mathath. Quod si quisquam putat esse tantam
 similitudinem nominis, ut ab scriptoribus in una littera
 erratum sit, ut fieret tam parva et pene nulla diversitas;
 quid de istorum patribus dicturus est? Nam secundum
 Lucam, Mathath filius fuit Levi; secundum Matthæum
 autem, Mathan ex Eleazar genitus invenitur: atque ita
 inde sursum versus diversi sunt patres et avi; et deinde
 majores usque ad Zorobabel, qui fere est vigesimus sur-
 sum ab Joseph apud Lucam, apud Matthæum autem un-
 decimus. Qui propterea idem ipse esse creditur, quia pater
 ejus apud utrumque Evangelistam Salathiel invenitur:
 quamvis fieri potuerit, ut alius fuerit eodem nomine, ha-
 bens ejusdem nominis patrem, cujus et ille habuit. Nam
 et inde sursum versus diversi sunt: alium quippe habet

¹ Ruth. IV, 13. — ² Matth. II, 16, et Luc. III, 23.

Zorobabel avum apud Lucam, qui est Neri; alium apud Matthæum, qui est Jechonias, atque inde superius nusquam est consonantia, quousque veniatur ad David, apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficillimum autem videtur, non fuisse aliquem propinquiorem, qui duceret uxorem fratris sui, quam eum qui ex David esset consanguineus tam longinquo gradu, non aliqua infra propinquitate conjunctus; cum sit apud Lucam David pene quadragesimus a Joseph, apud Matthæum autem ferme vigesimus-septimus. Aut si propinqui ad uxores defunctorum ducendas etiam illi quærebantur, qui ex foeminarum sanguine propinquabant, fieri potuit ut esset aliquis ita propinquus, qui Joseph genuerit de uxore propinqui sui, qui sine liberis decessit: ac si ei esset alter ex natura pater, alter ex Lege; in quorum patribus et avis et deinde majoribus ideo nulla propinquitas appareret, quod non ex maribus, sed ex foeminis propinquarent. Verumtamen si ita esset, nec David aliquando unus pater occurreret. Aut si quisquam potuisse contendit, ubi ponimus quod consuetudo Scripturæ non est foeminas in genealogia pro maribus ponere¹, sicut eas nullus Evangelista interposuit? Ubi enim commemorantur matres, non ponuntur nisi cum patribus. Ac per hoc aut ita propinquior defuit ad uxorem defuncti sibi copulandam, ut origo cognitionis David repeteretur: aut adoptio fecit alterum patrem, quem posset habere Joseph.

QUÆSTIO XLVII.

Quid est quod inter illa, quæ jubet dicere hominem, qui in dandis decimis, et quæcumque dare vel impendere jussus est, omnia mandata complevit, etiam hoc cum laude et commendatione sua dicere jubet: « Non dedi ex eis mor-

¹ Vide 2 Retract. c. 53.

tuo¹. » An per hoc prohibet parentalia, quæ observare gentes solent?

QUÆSTIO XLVIII.

I. « Non præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando » tibi hodie, dextra aut sinistra ire post deos alienos, servire illis². Quæri potest, quomodo possit intelligi ire in dextra, qui post deos alienos ierit servire illis; cum dextra in laude ponatur, illud autem nunquam laudabiliter fieri possit: nam et quod reprehenditur in via vitæ, qui declinat in dextra, non ibi ea reprehenduntur quæ dextra sunt, sed ille qui declinat in ea, id est, qui sibi arrogat quæ Dei sunt. Ideo dicitur in Proverbiis: « Non declines » in dextra aut in sinistra. Vias enim quæ a dextris sunt » novit Dominus: perversæ autem sunt quæ a sinistris³. » Ergo bonæ sunt dextræ quas novit Dominus. « Novit enim » Dominus vias justorum⁴, » sicut in Psalmo legitur. Cur ergo dictum sit: « Ne declines in dextra, » consequenter ostendit addendo: « Ipse enim rectos faciet cursus tuos⁵. » Absit autem ut dextras, quas novit Dominus, negemus esse rectas: sed, ut dixi, declinare in eas est, non alius gratiæ, sed sibi tribuere velle quod rectum est. Denique ut dixi, adjungit et dicit: « Ipse enim faciet rectos cursus » tuos, et omnia itinera tua in pace producet. »

II. Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomii, de quo agimus, dictum est: « Non præteribis ab omnibus verbis, » quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra ire, » post deos alienos servire illis, » non ideo dictum est, quia dii alii possunt etiam in dextris accipi: sed aut terrena loca significata sunt, quia et in dextra et in sinistra habebant alios deos colentes: aut hoc de diis aliis separatim pronuntiandum est, ut duo sint sensus: unde videli-

¹ Deut. xxvi, 14. — ² Id. xxviii, 14. — ³ Prov. iv, 27. — ⁴ Psal. i, 6. —

⁵ Prov. iv, 27.

cet: « Non præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando » tibi hodie, dextra aut sinistra, » secundum illum scilicet intellectum, quem supra exposui; alius autem sit » sensus, « Ire post deos alienos, servire illis, » ut et hic subaudiatur: « Non præteribis ab omnibus verbis, quæ » ego mando tibi hodie. » Quem totum sensum si dicere velimus, superiora verba, quæ utriusque sensui sunt communia, repetituri sumus, ut quomodo illic dicitur: « Non » præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, » dextra aut sinistra, » sic et istuc repetatur: « Non » præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, ire » post deos alienos servire illis. » Prætereundo enim a verbis quæ mandata sunt, etiam hoc fit, ut eatur post deos alienos. Non enim hoc solum mandatum est, aut hoc solum præteriri Deus non vult, quod mandavit, ne post deos alienos eatur, sed omnia quæ mandavit: hoc tamen ita præcipue, ut post generalitatem præcepti, quo admonuit non esse prætereundum ab omnibus verbis mandatorum suorum, etiam hoc seorsum commendare voluerit.

III. Potest hoc quod ait: « Dextra aut sinistra, » etiam sic intelligi, ut nec eorum causa, quæ propter felicitatem appetuntur, nec eorum quæ propter infelicitatem fugiuntur, ire mandaverit post deos alios: id est, nec pro iis quæ amantur, nec contra ea quæ odio habentur, a diis aliis auxilium esse poscendum: aut certe illo modo, ut vel concilientur, quo prosint; vel placentur, ne noceant. Nam et de quibusdam scriptum est in Psalmo: « Quorum » os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis¹: » ideo quia his rebus opinantur fieri hominem beatum, quas et boni et mali possunt habere: et ideo dextera est iniquitatis, quia iniqui sunt, qui eam dexteram putant. Non enim est vera dextera, sed dextera est eorum,

¹ Psal. cxlvi, 8.

quorum os locutum est vanitatem. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, cum potius, sicut mox adjungit et docet, « Beatus sit populus, cujus Dominus Deus ipsius. » Hæc est vera dextera, æquitatis, non iniquitatis. Non est ergo eundem post deos alienos, neque in dextra, ut existimet homo ex ipsis se fieri beatum; neque in sinistra, ut existimando ipsis adversantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat ut avertat. Aut certe si dextra intelligimus æterna, sinistra vero temporalia bona; nec propter illa, nec propter ista eos colendos sancta Scriptura hoc loco admonuisse credatur.

QUÆSTIO XLIX.

« Hæc verba Testamenti quod mandavit Dominus Moy- » si, statuere filiis Israël in terra Moab, præter Testa- » mentum quod testatus est eis in Choreb¹. » Ostendit unde appellatus sit liber Deuteronomium, quasi secunda Lex; ubi magis illius repetitio est, quam aliquid aliud: pauca enim sunt, quæ ibi non sint in eo quod primum datum est. Nec tamen appellantur hæc duo Testamenta, quamvis ita hæc verba sonare videantur: utrumque enim unum est Testamentum, quod in Ecclesia dicitur Vetus. Nam si propter hæc verba duo Testamenta dicenda essent, jam non duo, sed plura essent, excepto Novo. Multis enim locis Scriptura dicit Testamentum: sicut illud quod factum est ad Abraham de circumcissione², vel illud superius ad Noë³.

QUÆSTIO L.

« Et vos vidistis omnia, quæcumque fecit Dominus » Deus vester in terra Ægypti coram vobis Pharaoni, et » omnibus servis ejus, et omni terræ illius, tentationes

¹ Deut. xxix, 1. — ² Gen. xvii, 4. — ³ Id. ix, 9.

» magnas, quas viderunt oculi tui, signa et prodigia
 » illa magna, et manum validam. Et non dedit Domi-
 » nus Deus vobis cor scire, et oculos videre, et aures
 » audire usque in diem istam¹. » Quomodo ergo ait
 superius: « Vos vidistis tentationes magnas, quas vide-
 » runt oculi tui, » si « non dedit Dominus eis oculos
 » videre, et aures audire: » nisi quia viderunt corpore,
 et corde non viderunt? quia oculi dicuntur et cordis:
 propterea inde cœpit: « Et non dedit Dominus Deus vo-
 » bis cor scire. » Ad hoc pertinent duo quæ sequun-
 tur, « Et oculos videre, et aures audire, » id est, intelli-
 gere, et obtemperare. Quod vero dicit: « Et non dedit
 » Dominus Deus vobis: » nullo modo increpans et ar-
 guens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam perti-
 nere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem
 putet. Simul enim ostendit et sine adjutorio Domini Dei
 eos intelligere et obedire non posse oculis cordis, et auri-
 bus cordis: et tamen si adjutorium Dei desit, non ideo
 esse excusabile hominis vitium; quoniam judicia Dei
 quamvis occulta, tamen justa sunt.

QUÆSTIO LI.

« Et adduxit vos quadraginta annis in deserto: non in-
 » veteraverunt vestimenta vestra, et calceamenta vestra
 » non sunt attrita a pedibus vestris: panem non mandu-
 » castis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis quia iste
 » Dominus Deus vester². » Hinc apparet tantum vini in
 suis impedimentis potuisse portare Israëlitas, quando
 exierunt de Ægypto, quod possent cito consumere. Nam
 si omnino nihil secum tulissent, unde esset illud de quo
 dictum est: « Sedit populus meus manducare et bibere,
 » et surrexerunt ludere³? » Non enim hoc de aqua di-

¹ Deut. xxix, 2-4. — ² Ibid. 5, 6. — ³ Exod. xxxii, 6.

ceretur, cum et ipsius Moysi manifestissima verba sint,
 non fuisse illam vocem principium belli, sed principium
 vini¹.

QUÆSTIO LII.

« NUMQUID est aliquid inter vos vir, aut mulier aut fa-
 » milia, vel tribus, cujus mens declinavit a Domino Deo
 » vestro, ire servire diis gentium illarum? Num qua est
 » in vobis radix sursum germinans in felle et amaritu-
 » dine? Et erit, cum audierit verba maledictionis hujus,
 » et opinabitur in corde suo, dicens: Sancta mihi fiant,
 » quoniam in errore cordis mei incedo: ut non simul
 » perdat peccator eum, qui sine peccato est; nolet Deus
 » propitiare ei, sed tunc incendetur ira Domini, et zelus
 » ejus in homine illo, et adhærebunt in eo omnia ma-
 » ledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro
 » Legis hujus². » Ita dictum est: « Numquid est in vo-
 » bis, » ut tanquam requirentem intelligamus, ne forte
 sit. Si quis autem esset, eum terruit vehementer, ne forte
 quisquam diceret in corde suo, audiens illa maledicta,
 « Sancta mihi sint, id est, maledicta sancta mihi sint:
 » quoniam in errore cordis mei incedo, » id est, absit
 ut mihi ista eveniant, non mihi sint hæc mala, sed sancta,
 id est, propitia et innoxia; « Quoniam in errore cordis
 » mei incedo, » eundo scilicet post Deos gentium, et eis
 tanquam impune serviendo. Non, inquit, erit sic. « Non
 » perdat simul peccator eum qui sine peccato est: » tan-
 quam diceret: Cavete ne cui vestrum talia persuadeat,
 quia talia cogitat. « Nolet Deus propitiare ei, » sive
 talia cogitanti, sive illi cui talia fuerint persuasa, sicut
 ipse opinatus est dicendo: « Sancta mihi sint; » et quasi
 hoc modo avertendo a se vim illius maledicti. « Sed tunc

¹ Exod. xxxii, 18. — ² Deut. xxix, 18-21.

» accendetur ira Domini, et zelus ejus in homine illo, » quando putabit eam se avertere, ista in corde suo dicendo. « Et adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hu- » jus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus. » Non pos- sunt quidem omnia evenire uni homini: non enim etiam toties mori potest, quot genera mortis hic dicta sunt: sed, « omnia, » dixit, pro quibuslibet, ut non sit immunis ab omnibus, cui evenerint aliqua eorum quibus pereat. Quod autem ait, « Ut non simul perdat peccator eum qui » sine peccato est, » quod græcus habet ἀναμάρτητον, non sic accipiendum est, tanquam ab omni prorsus peccato mundum et immunem hoc dixerit ἀναμάρτητον, id est, sine peccato; sed eum qui sine peccato isto esset, de quo lo- quebatur: sicut dicit Dominus in Evangelio: « Si non ve- » nissem et locutus eis fuisset, peccatum non habe- » rent¹; » non utique omne, sed hoc peccatum quo non crediderunt in eum. Dicit etiam Deus ad Abimelech de Sara uxore Abrahæ: « Scio quia in mundo corde fe- » cisti hoc²: » non utique mundum illius cor ita voluit in- telligi, ut similis eis esset, de quibus dictum est: « Beati » mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt³: » sed ab illo peccato, de quo agebatur, mundum cor habebat, quoniam quantum ad ipsum pertinebat, non concupive- rat conjugem alienam.

QUÆSTIO LIII.

« Et circumpurgabit Dominus cor tuum, et cor semi- » nis tui, diligere Dominum Deum tuum ex toto corde » tuo, et ex tota anima tua, ut vivas tu⁴. » Evidens pol- licitatio gratiæ: promittit enim Deus se esse facturum, quod solet jubere ut fiat.

¹ Joan. xv, 22. — ² Gen. xx, 6. — ³ Matth. v, 8. — ⁴ Deut. xx, 6.

QUÆSTIO LIV.

« QUIA mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, » non est supra modum, neque longe abs te est: non » in cœlo est dicens, id est, ut dicas: Quis ascen- » det nobis in cœlum, et accipiet nobis illud, et au- » dientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicens, » id est, ut dicas: Quis transfretabit nobis trans mare, » et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? » Prope est verbum hoc valde in ore tuo: et in corde » tuo, et in manibus tuis facere illud¹. » Hoc esse ver- bum fidei dicit Apostolus: quod ad Novum pertinet Tes- tamentum. Sed quæri potest, cur ea superius mandata² dixerit, quæ scripta sunt, in libro Legis hujus³: nisi quia his omnibus spiritalia significantur ad Novum Testamen- tum pertinentia, si bene intelligantur. Item quæri potest, cur hoc quod hic positum est: « Neque trans mare est, » ut dicas: Quis transfretabit nobis trans mare, et acci- » piet nobis illud, » Apostolus dixerit: « Aut quis des- » cendet in abyssum; » atque id exponens adjunxerit; « Hoc est Christum a mortuis reducere⁴; » nisi quia mare appellavit totam in hoc sæculo vitam, quæ morte transitur, ut quodam modo mare finiatur, et trans mare mors ipsa appelletur, velut trans istam vitam, quæ ma- ris vocabulo significatur. Deinde quod hic additum est, « Et in manibus tuis; » non ait Apostolus, nisi, « In ore » tuo et in corde tuo⁵. » Et hoc usque in finem execu- tus est, dicens: « Corde enim creditur ad justitiam, ore » autem confessio fit ad salutem⁶. » Merito quod ex He- bræo translatum est, quantum a nobis inspicere potuit, non habet, « In manibus tuis. » Nec frustra tamen hoc a Sep-

¹ Deut. xxx, 11-14, et Rom. x, 8. — ² Forte *maledicta*. — ³ Deut. xxix, 21. — ⁴ Rom. x, 7. — ⁵ Ibid. 6. — ⁶ Ibid. 10.

tuaginta interpretibus additum existimo : nisi quia intelligi voluerunt etiam ipsas manus, quibus significantur opera, in corde accipi debere, ubi est fides quæ per dilectionem operatur¹. Nam si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, et in corde non fiant, nemo est tam insulsus qui præcepta arbitretur impleri. Porro si charitas, quæ plenitudo est Legis, habitet in corde², etiamsi manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis.

QUÆSTIO LV.

« PECCAVERUNT non ei filii vituperabiles³. » Quod in græco est τέκνα μωπυρά, quidam interpretati sunt sicut hic, id est, « Filii vituperabiles, » quidam « Filii commaculati; » quidam « Filii vitiosi. » Unde non magna quæstio, imo nulla est. Sed illud merito ad quærendum movet, si generaliter dictum est, « Peccaverunt non ei, » quoniam qui peccat non ei peccat, id est, non Deo nocet, sed sibi; quomodo intelligendum sit quod in Psalmo legitur, « Tibi » soli peccavi⁴; » et in Jeremia: « Tibi peccavimus, patientia Israël Domine⁵; » et iterum in Psalmo, « Sana » animam meam, quia peccavi tibi⁶: » et utrum hoc sit peccare Deo, quod peccare in Deum. Unde ait Heli sacerdos: « Si in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? » Dicam ergo interim, quid mihi in præsentia videatur. Intelligent fortasse aliquid melius, qui melius hæc sapiunt, aut etiam nos alio tempore, quantum adjuverit Dominus. Peccare in Deum, est in iis peccare, quæ ad Dei cultum pertinent. Nam hoc quod commemoravi, nihil aliud indicat: sic enim peccabant filii Heli, quibus hoc pater eorum dixit. Sic existimandum est peccari etiam in homines, qui

¹ Gal. v, 6. — ² Rom. xiii, 10. — ³ Deut. xxxii, 5. — ⁴ Psal. l, 6. — ⁵ Jer. xiv, 7. — ⁶ Psal. xl, 5. — ⁷ 1 Reg. ii, 25.

pertinent ad Deum: nam hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara: « Propterea peperci tibi, ne peccares in » me¹. » Peccare autem Domino, vel potius peccasse Domino, (nisi forte alicubi scriptum occurrat, quod huic sensui resistat,) hi mihi videntur non immerito dici, qui piam pœnitentiam peccati sui nunc agunt, ut glorificetur ignoscens Dominus. Causam quippe reddens David cur dixerit: « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; » subjecit et ait: « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas » cum judicaris²: » Sive cum dicit Deus: « Judicate in- » ter me et vineam meam³: » sive de Domino Jesu Christo intelligatur, qui solus verissime dicere potuit: « Venit » enim princeps mundi, et in me non habet quidquam, » (id est, quidquam peccati quod morte sit dignum,) » sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut » mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus » hinc⁴: » tanquam diceret: « Etiam levissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi, in me non habet quidquam, sed surgite eamus hinc, id est, ut patiar; quia in eo quod patior, voluntatem impleo Patris mei, non pœnam solvo peccati mei. » Et quod Jeremias ait: « Tibi peccavimus patientia Israël⁵, » Domino utique suppliciter dicitur in pœnitentia cum spe salutis ex venia. Et quod dictum est: « Sana animam meam, » quia peccavi tibi⁶, » hoc idem agitur ut Deus ignoscendo glorificetur: quia magna est ejus misericordia super confitentes sibi et redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat⁷. Hinc et ipse David non solum in Psalmo, verumetiam cum eum Deus argueret per Prophetam, non sine spe propitiationis Domini respondit: « Peccavi Domino⁸. » Medico

¹ Gen. xx, 6. — ² Psal. l, 6. — ³ Isai. v, 3. — ⁴ Joan. xiv, 30, 31. — ⁵ Jer. xiv, 7. — ⁶ Psal. xl, 5. — ⁷ Ezech. xxxiii, 11. — ⁸ 2 Reg. xii, 13.

enim vulneratus videtur quodam modo, qui ut sanetur se subdit manibus medici, ut in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico prævidebat Propheta futuros quosdam, qui sic fuerant peccaturi Deum offendendo magnis iniquitatibus suis, ut nec poenitentiam agere vellent, et ad Deum redire ut sanarentur: de quibus etiam alibi dicitur: « Quoniam caro sunt, et spiritus ambulans, et » non revertens¹. » Potest etiam sic intelligi: « Peccaverunt non ei, » secundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi.

QUÆSTIO LVI.

« Et hæc benedictio, quam benedixit Moyses homo Dei » filios Israël, prius quam defungeretur. Et dixit: Dominus ex Sina venit, et alluxit ex Seir nobis: festinavit ex monte Pharan cum multis millibus Cades. Ad dexteram ejus Angeli cum eo, et pepercit populo suo. Et omnes sanctificati sub manus tuas, et hi sub te sunt. Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses, hæreditatem congregationibus Jacob. Et erit in dilecto princeps, congregatis principibus populorum simul tribubus Israël². » Non negligenter prætereunda est ista prophetia. Apparet quippe ista benedictio ad novum populum pertinere, quem Dominus Christus sanctificavit, ex cujus persona ista dicuntur a Moyse, non ex persona ipsius Moysi, quod in consequentibus evidenter apparet. Nam si propterea dictum est, « Dominus ex Sina venit, » quia in monte Sina Lex data est, quid sibi vult quod sequitur, « Et alluxit ex Seir nobis: » cum Seir mons Idumææ sit, ubi regnavit Esaü? Deinde cum Moyses filios Israël benedicat his verbis, sicut Scriptura prædixit, quomodo idem dicit: « Et accepit de verbis ipsius Legem

¹ Psal. lxxvii, 39. — ² Deut. xxxiii, 1-5.

» quam mandavit nobis Moyses? » Nimirum ergo prophetia est, ut diximus, populum novum Christi gratia sanctificatum prænuntians, ideo sub nomine filiorum Israël, quia semen est Abraham, hoc est, filii sunt promissionis, et interpretatio ejus est, videns Deum. Dominus ergo qui ex Sina venit, Christus intelligendus est, quoniam Sina interpretatur, tentatio. Venit ergo ex tentatione passionis crucis mortis. « Et alluxit ex Seir. » Seir interpretatur pilosus, quod significat peccatorem: sic enim natus Esaü odio habitus¹: sed quoniam qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis², ideo alluxit ex Seir. Simul etiam non absurde intelligitur esse prædictum, ex gentibus quæ significantur per nomen Seir, quia mons est pertinens ad Esaü, venturam gratiam Christi populo Israël. Unde dicit Apostolus; « Ita et hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur³. » Ipsi ergo dicunt: « Alluxit ex Seir nobis, et festinavit ex monte Pharan, » id est, ex monte fructifero: id enim interpretatur « Pharan, » quo significatur Ecclesia. Cum multis millibus Cades. » Et mutata interpretatur « Cades, » et sanctitudo. Mutata sunt ergo multa millia, et sanctificata per gratiam, cum quibus venit Christus ad Israëlitas postea colligendos. Sequitur et dicit, « Ad dexteram ejus Angeli cum eo. » Hoc non indiget expositione. « Et pepercit, inquit populo suo: » donans remissionem peccatorum. Inde ad ipsum convertit sermonem atque ait: « Et omnes sanctificati sub manus tuas, et hi sub te sunt: » non utique superbientes, et suam justitiam volentes constituere, sed agnoscentes gratiam, ut justitiæ Dei subjiciantur⁴. « Et accepit, inquit, de verbis ipsius Legem: » populus utique de quo ait, « Et pepercit populo suo. » Accepit ergo de verbis ipsius « Le-

¹ Gen. xxv, 52. — ² Isaï. ix, 2. — ³ Rom. xi, 31. — ⁴ Id. x, 4.

» gem, quam mandavit, inquit, nobis Moyses : » hoc est, populus ejus de verbis ejus accepit Legem, quia de doctrina ejus intellexit Legem eam ipsam, quam mandavit nobis Moyses. Ipse quippe ait in Evangelio : « Si crederetis Moysi, » crederetis et mihi : de me enim ille scripsit ¹. » Non enim accepit populus ille Legem, quam non intellexit : sed tunc accepit, quando intellexit de verbis ejus, carens velamine veteri, conversus ad Dominum : hanc dicit « Hæreditatem congregationibus Jacob, » quæ intelligenda est non terrena, sed cœlestis; non temporalis, sed æterna. « Et erit, inquit, in dilecto princeps : » ipse utique in dilecto populo erit princeps Dominus Jesus : « Congregatis » principibus populorum, id est, gentium, simul tribus Israël, » ut impleatur quod supra dictum est : « Lætamini gentes simul cum populo ejus; quia cæcitas ex » parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret ². »

QUÆSTIO LVII.

CUM Joseph benediceret, ait inter cætera, « Primogenitus tauri pulchritudo ejus ³. » Quod non ita legendum est, tanquam dixerit, « Primogenitus tauri; » sed, cum sit primogenitus, pulchritudo ejus tauri est; propter crucis cornua de Domino intelligitur figuratum.

¹ Joan. v, 46. — ² Rom. xi, 25, 26. — ³ Deut. xxxiii, 17.

LIBER VI.

QUÆSTIONES IN JOSUE.

QUÆSTIO I.

DOMINUS dicit ad Jesum Nave : « Et sicut eram cum » Moysè, ita ero et tecum ¹. » Non solum autem hoc testimonio, sed etiam in Deuteronomio multis documentis probatur Moyses ita defunctus, ut Dei famulus et Deo placens : quamvis in eo illa vindicta completa sit, ne terram promissionis intraret. Ex quo datur intelligi, Dominum etiam bonis servis suis in aliquo succensentem, et temporaliter vindicare, et tamen in eorum habere numero, quæ sunt in domo ejus vasa in honorem utilia Domino ², quibus daturus est promissa sanctorum.

QUÆSTIO II.

QUÆSTIO est, quomodo posteaquam locutus est Dominus ad Jesum Nave, exhortans et confirmans eum ³, seque promittens cum illo futurum, mandaverit idem Jesus populo per scribas, ut præpararent cibaria, quod post tres dies Jordanem fuerant transituri, cum inveniantur post multo plures dies transisse Jordanem. Cum enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Jericho ⁴, quoniam Jordane trajecto ipsa proxima civitas occurrebat : illi autem diverterunt ad Raab mulierem fornicariam, et ab

¹ Josuë 1, 5. — ² 2 Tim. ii, 21. — ³ Josuë 1, 11. — ⁴ Id. ii, 1.